

I. N. J.

De

CAUSIS VARI- ANTIUM SEN- TENTIARUM,

In foro Philosophico,

Cogitationes.

Permittente Ampliss. Coll. Philos.
Acad. Aboëns.

SUB MODERAMINE

VIRI CELEBERRIMI,

Mag. PETRI HAHN,

Phys. Prof. & Biblioth. Reg. & Ord.

Pro gradu Magisterii,

A. d. 1. Decemb. 1697, loco horisq; consuetis,

*Eruditorum placido examini
modeste subjici.*

JACOB HILDEEN,
O-Botn. Uhl.

ABOË, excudit JOH. WINTER /
Reg. Typogr.

S.æ R.æ M.^{tis}

Summæ Fidei Viro,

Reverendissimo in Christo PATRI ac
DOMINO,

Dn. JOHANNI
GEZELIO, J. F.

S.S.Theologiæ Doctori Ce-

leberrimo, Excellentissimo,

Inclytæ Diœcœsos Aboensis
EPIS COPÖ Eminentissimo,

Academiæ ibidem

PROCANCELLARIO Amplissimo;

Mæcenati meo Maximo,

Felicitatem & Annos!

S.æ R.æ M.^{tis}

Magnæ Fidei Viro,

Perillustri atq; Generosissimo
DOMINO,

Dn. S I M O N I
R U U T H,

Supremi Regii Judicij,

Quod in Finlandia est,

VICE-PRÆSIDI GRAVISSIMO

Patrono meo Benignissimo,

Quævis Felicia !

REVERENDISSIME IN CHRISTO
PATER,

M^Agne Vir, Arctoꝝ prægrandis
Gloria terræ,
Afflictis rebus portus & ara meis,
Adspicias mitis tenui de messe maniplos,
Quos ut primitias fert Tibi noster
ager,
Jure quidem: Sed cum nullo concinna
nitore
Sint hæc ingenii prima pericla
mei;
Obtestor, placeant purâ pietate da-
toris,
Mente Tuus tota, qui cupit esse
cliens.

REVERENDISSIMÆ TUÆ PA-
TERNITATIS

Devotissimus Servus

Jac. Hildeen.

PERILLUSTRIS atq; GENEROSISSIME
DOMINE,

Justitiae lumen, Themidos fax, Magne
Patrone,
In Regem cujus non temerata fides;
Audeat agresti quod nostra Thalia co-
thurno,
Munus & exiguum Tecta subire
Tua.,
Ingens ille favor, quo nos complec-
ris usq;
In causa est, omni dignus honore
coli:
Incultam quod si non dedignabere Mu-
sam,,
Semper erit studiis officiosa suis.

PERILLUSTRIS atq; GENERO-
SISSIMI NOMINIS TUI

Cultor Observantissimus

Jac. Hildeen.

Nobilissimis, Amplissimis, Con-
atq; Clarissimis

Dn. PETRO HOFFREN,
Cameræ Regiæ Advocato Fiscali
Adcuratissimo.

Mag. PETRO PORTINO,
Pastori Ecclesiæ Dei, in Pyhäjoki
Fidelissimo.

Mag. LAURENTIO FOXBUS/
Pastori in Säkäjoki vigi-
lantissimo.

Promotoribus, Euergetis atque
officio perpetim

Prospe-

Chartula longinquas
Fautores istie
Utq; notes nostræ
Pro veteri grates

Nobiliss. Ampliss. Clarissimisque

JACOB

sultissimis, Plur-Reverendis
VIRIS ac DOMINIS.

Dn. JAC. PONTUS TÄWBEST.

SEJERNA Judici Territoriali
in Savolaxia æqvissimo.

Dn. GABRIELI GRUNI/
Consuli Uhloburgensi
dexterimo.

Dn. BARTHOLDO VAEHL,
Pastori Legionis Pedestris, quæ
Rigæ est meritissimo.

Fautoribus pio affectu & omni
colendis

ritatem!

prono pete poplite terras,
sic venerare tuos;
communia tempora vitæ;
dexteritate refer.

nominibus vestris addictiss.

HILDEEN.

Ad

CLARISSIMUM Virum Juv.

Dn. JACOBUM HILDEEN,
Cand. Philos. Amicum meum unum,
saltem examissim integerrimum; Cum
ausu perdifficilimo sed felicissimo,

CAUSSAS

VARIANTIUM SENTENTIARUM

In foro Philosophico,
solide erueret, dicuteret.

Intra tot vatum variantes pectora sensus
Et decreta modis centuriata suis:
Consensere Dii, consentit cætera turba,
Pieridum, nulli hic mente carere placet:
Ipse, novem quamvis Musis amor editus, Hilden
Diceris unius Palladis esse decus.
Jam si aliquis, causas, heic expetat, ordine
tanti

Consensus, in quem plebs glomerosa coit:
Pulcros hic mores, celebrem caussatur at alter
Progeniem: is mentis vim superare putat,
Doctrinamq; alius: cum vitam labo vacantem,
Et quid non laudis convehit ille tuæ?
Non pugnant, inquam: bene cui tam mitia fata
Hic cessere, suo & certat amore Polus.
Virtus, ingenium, sapientia cui data cælo:
Laudibus ut quid adhuc parcere terra velit?

L. Mq;
JO. RUNGJUS.

In doctrinam

De CAUSIS VARIANTIUM
SENTENTIARUM
Disputationem.

*Clarissimi Juvenis & Candidati
Philosophiae dignissimi,*

Dn. JACOBI HILDEENS,
O: Bothn: amici sincera & Thesea fide dilecti,

Ille tuam præsens, qui scandit, Apollo,
cathedram,
Doctrinæ prodens sat documenta suæ,
HILDEEN, Castaliis est enutritus in arvis,
Fovit & hunc nudo, Pallas amica, sinu;
Hunc namq; à puero pulcrum formavit
alumnum,

Inq; suâ, Charites, erudiere Scholâ.
Nunc pariter, postquam crescens ado-
leverat ætas,

Huic parat in Phœbi, Diva, cohorte lo-
cum,

Inq; suâ stantē, studio flagrante, palestrâ,
Talibus affatur, Nata Tonante, suum :
Præmia militia, decus ingens, accipe laurum,
Ungnimes Musæ mox quoq; ferta dabunt,
Namq; Tibi dabitur, flammas imitata corona,
Quæ grave, perpetuo fœnore, pensat onus.

*Animo, quam Camæna promptiori, lusit
S. TIGERSTEDT.*

CLARISSIME DOMINE RESPONDENS,
Studiorum meorum moderator
Optime.



Ivitiarum & formæ gloriā
fluxam atq; fragilem esse, vir-
tutem autem claram æter-
namq; haberi, dixit non mi-
nimum illud Latialis soli de-
cus, rerumq; Romanarum florentissi-
mus auctor Salustius. Novit siquidem
vir disertissimus, virtutem & eruditio-
nem illas esse dores, quæ complexu suo
omnia bona continent, quæ honores &
dignitates possessoribus suis conferunt,
quæq; multos ē paupertatis squalore e-
volutos, virorum principum associant
inseruntq; ordini. Harum Te sectato-
rem assiduum extitisse, cum præteralia,
tam Upsaliæ quam hic data documenta,
satis superq; felix hujus tam difficilis
tamq; vasti argumenti testetur elabora-
tio: nullus dubito quin Deo labores tuos
indefessos & honestissimos fortunante,
carundem tandem uberrimo macteris
præmio: Quod ut brevi Tibi ex voto con-
tingat, calidissimo optat pectore, qui ex fi-
do proposito vivit

Tui cupidissimus

JO: BARTHOLD KRÆMER

Ad eundem.

Hac occasione, Domine Hildeen, lati-
tiam ex felici rerum tuarum habi-
tu perceptam, voluptatemq; quam
ex suavi quotidiane tecum consuetudi-
nis fructu accipio, declararem; n*e*c congratula-
entes voces, quibus Amici Tui fausta
quevis tibi exoptant, silentium balbutien-
ti mihi quasi imponerent; Metuo enim
ut id, in hac præsertim ætate, à tenuis in-
genii mei facultate ritè fieri possit; pro-
pterea cum sat apta non reperio verba, qui-
bus id quod gestio exprimam, breve tan-
tum pro tuis successibus fundam volum,
sperans Te id æqui boniq; consulturum,
siquidem non Te latet voto, quod paucis
nuncupatur verbis, æque magnum inef-
se pondus, quam quod sit multis. Ex in-
timo itaq; cordis affectu voveo, ut hono-
res, quos pro assiduitate, laboribus & vi-
giliis tuis in bonis literis, brevi à Musis ade-
pturus es, cedant in nominis Divini glo-
riam, Tui, Tuorumq; decus & gaudium,

Ita gratulabundus
scripsit

BARTHOLD RUUTH.

FElices tuos, Domine Præceptor, in literis profectus, tanto tibi impensius gratulor, quanto certius scio, ex fideli tua, qua quotidie fruor informatione, non parum etiam commodi in me redundare. Cumq; in tenera hac, qua sum ætate, aliud non possim, Supremum Numen ex sincero rogo animo, dignetur hos tuos conatus in bonos diriger fines, ut laborum tuorum fructus aliquando capias hauriasq; fœcundissimos.

*Ita rudi licet calamo, lubens tamen
meritoq; congratulari voluit*

JACOB RUUTH.

*Doctrinâ Moribusq; insigniter
Conspicue*

Dn. JACOBE HILDEEN,
Philosophie Candidate Clarissime.

LADES, queis Temet dignum fece-
re Camænæ,
Non cano, namq; illas esse sci-
unt solidas
Omnes vel SALAM ad vel ad AURAM,
qui potuere
Noste Tuum Nomen, vel faciemq;
Tuam.
Officii ast in TE quia me decet & me-
minissem,
Non queo, quin imo gratuler ex a-
nimo
Esse Tuum nomen præclarum ad side-
ra missum,
Atq; tibi Digno præmia digna fore:
Quæ duratura & seros sint fausta per
annos,
Quò lux omnis eat mitis & æqua
Tibi.

Tumultuarie Scr.

E: CAJANUS.


Lectori Salutem!

Antum abest, Candide Lector, ut mihi promittam tenues has & exiles admodum lucubrationes punctum aliquod laudis a literata celebritate laturas, ut etiam mihi ipse nihil magis, quam immaturus hic fætus displiceat; imo adeo, ut eum vel nunquam, vel saltem majoriori iudicio elaboratum in lucem protrahere, publicis facere juris decreverim: Quod certe factū fuisset, nisi receptus in Academiis, ut aliis ita nostrā, mos, qui mihi pro lege stetit, aliorumq; ex societate nostra juvēnum exempla in hanc scenam, bocce præsertim tempore, me prodire coegerissent: Ne forte ego omnino frustra viderer studia Academica per aliquot jam annos coluisse. Obversabantur præterea etiam id consilium secuto alia, quæ meritorē remoriri conatus videbantur, seculi scilicet bujus tam fastidiosi stomachi, tamq; delicati palati spectatores, fastus & severitas, quib⁹ nihil probari, nihilq; non reprobatione & sannis dignum videri, nisi ab omni parte politum fuerit, certo scio; adeo ut, qui ab eis applausum sperat, per extensum funem in sublimi ambulet necesse sit. Sed quoniam rigidos istos Aristarchos & inclementes censores, qui unum quodq; forte incertius dictū acriter admodum examinare suerunt, honestissimis aliorum conatibus impedi-

men-

mento potius quam adjumento esse solere deprehendi,
non passus sum me eorum auctoritate a proposito
dimoveri. Argumentum autem quod ex
parte a me hic, Candide Lettor, tractatum vi-
des, primum sese deliberanti mibi, in quo potis-
simum tenues & exiguae ingenii mei vires ex-
ercentem, obtulit: Vidi siquidem ex omnibus
iis, que animo volvebam argumenta, nullum
esse quod non suis difficultatibus, suisq; labora-
ret controversias, in quarum consideratione dum
occuparer, animum subiit paucia de earum, in
Foro Philosophico, origine commentari: non qui-
dem ut ipse plurimas decidendas proponerem
controversias, verum ut constaret quam variis illis
fontibus nascantur. At vero cum in his rimandis
omnia oppido ardua animadverterem, & quem se-
querer preceuntem neminem haberem, non potui
non nutubundus habere, & utrum in proposito
persistendum esset nec ne- vobementer dubitare:
Per viam proinde, quam aperiendam simul &
calcandam prospexi, propter precipita & saxa, qui-
bus ob sita scatebat, non sine multa cavendi
lapsum sollicitudine gradiendum erat; Atq; hoc
eo magis, quod nonnulla ex recentiorum placitis
mutuanda esse videbantur. Que tamen quia iis,
quos Mæcenates colo, non probatum iri scie-
bam, intella reliqui, & tractationem in
duo dispescui capita: quorum in priori, prefatus nos
in aliquam veritatis Philosophice cognitionem
natura duce posse pervenire, in generales vari-

antium sententiarum causas, quæ hic tamquam naturales spectari possunt, inquisivi. In posteriori easdem specialiores in male affecto Philosopho reperiendas, quas haud immerito morales dixeris, tradidi. In utruſq; autem, omni partium studio susq; deg; habitu, indicia veri intimis mentium insculpta sequi pro virili studiū; Illa ex scriptis Philosophorum quorumcumq; buc traducere, non inconveniens ratus, quæ assertiones meas, vel illustrarent vel probarent. Sic ivimus, quo potuimus, quo non potuimus, consistebamus. De cætero Tuum erit, Candide Lector, ea quæ hic acriori Tuo judicio minus probantur, in meliorem partem pro tuo candore interpretari. Vale & fave.





Σὺν Θεῷ

CAP. I.

§. I.



Ulla sunt, vel saltem paucissima, omnis sive veteris sive recentioris ævi, Philosophorum placita, quæ non, si probentur unius, rejiciantur ab altero; quæq; variis variorum ita obnoxia non sint judiciis; Ut dicere conveniat, quod dixit, qui ex summo colle aliquam multas aliquando sacco effudit calvarias, cum singulas earum diversa viâ devolvi videret: *Quot capita, tot sensus.* Hinc non levis, nec unâ vice animū subiit cogitatio, qui fieret, quod homines post tot seculorum experientiam, non magis, quam solent, inter se convenient; maximè cum *veritas*, quâ nihil præclarius præstabiliusq; habet, sit una; *Liber naturæ*, ex quo haurienda, unus & vetus quidem admodum exemplar, omnibus tamen æquè apertum; *Ratio* ejus investigatrix una, quam æqualiter inter omnes distributam arbitramur. Annon quæso satis subsit causa mirari:

A

quæd

quod de re unâ eademq;, cum alioqui quisq;, pro sua opinione, serio, mature & summâ cum cautelâ agere videatur, tot diversa ingeniorum in proclivi sit reperiri decreta, ut illa vel saltem enumeranti mihi necio utrū dies an multitudi plura subduceret? De quorum, ut non parum inter se discrepantibus, ita nec levi admodum operâ recte censendis, aestimandisq; causis, quas hic, pro modulo ingenii, investigare sedet animo, multa ante differere haud operæ videtur pretium, quam de ipsius veritatis existentiâ certò nobis constet. Num scilicet alicujus rei veram in umbroso hoc nostro gurgitio, sibi quis cognitionē in Philosophiâ polliceri possit?

§. 2.

Expositæ huic questioni felicius expediundæ adprime conducit, ut aliquanto altius rem repetamus, atq; ad ipsa fundamenta & incunabula cognitionis, quam anima humana de rebus quibuscumque adipisci potest, paulum oculos reflectamus. Quocirca statim in limine, more Geometrarum concedi nobis postulamus, rem quam Deus vividam sui representationem es-

se voluit, non potuisse sui ipsius & Con-
ditoris lui carere cognitione, cetera
vreo omnia in aeternum nescire. Po-
tuisse scilicet hominem praeter Deum
& se ipsum nihil novisse, non potest
ei esse dubium, qui secum curiosus
perpenderit, quod nec ipse Deus aliud
quam se ipsum necessarium novisse de-
buerit; Poterat siquidem Ens illud sum-
mum atque liberrimum, absq; ullo alia-
rum rerum conceptru, sibi ipsi se conci-
piendo, amando & innumeris suis
perfectionibus fruendo, esse sufficien-
tissimum: Quin etiam illis, salvâ ma-
nente suæ essentiaz integritate & perfe-
ctione, in aeternum carere. Quanto
magis menti creatæ is idem Deus solus,
solusq; cognitus sufficiet? Ecquid enim
illa præterea optaret & desidera ret?
Quod autem praeter Deum & se ipsam
etiam res se circumstantes, quæ omne a-
vū (exceptis Angelis) in pertinaci agunt
silentio, suæ existentiaz, pariter ac essentia-
z ignorare, cognoscit, id indifferentissi-
mo Deiplacito debet acceptum, qui non
ex indigentia, sed ex superabundan-
tissimo bonitatis suæ lubitu in illa ima-
ginem sui ita adumbrare voluit, ut non
tantū cognitionis, quā de se ipso habet,
esset repræsentatio verū & placiti in quo

res quas voluit vident, cogitando
signa gereret & indicia. Non hic exis-
tit nec quispiam, ut verbo denotem,
me id velle, quash imagini ejus pictæ,
omnia quæ sunt in exemplari, ines-
tent; Hoc enim in nullis rerum ima-
gnibus expectandum est: quia sic
inter imaginem & rem, cuius est ima-
go, nulla daretur differentia; adeoq;
dependentia tolleretur, & homo fieret
Deus: Sed sufficiat aliquos ei inesse
ductus & lineamenta, ex quibus possit
cognosci quale sit exemplar, secundum
quod formata est. Omnis ita scientia
nostræ, de rebus à Deo & mente no-
stra diversis robur atque fundamen-
tum cum sit placitum Deiliberrimum;
Libet ulterius dispicere, quanta sit ejus
amplitudo? Num ad omnes res, vel
ad paucas tantum rerum particulas se-
se extendat? Status, in quo primitus
collocatus est homo, cognitionem
nostræ non facimus investigationis;
quin lubentes aliis profundiori rerum
cognitione & scientiâ subactis, co-
negotio relicto, piâ aliorum in-
formatione contenti, dicimus tantum
valde nobis videri vero simile, animam
humanam in eo statu, sine aliqua difficultate
ad omnes res se extendere potuisse;

hoc

8

hoe enim suadet immensa D^ri potentia,
cui obices ponи nequeunt. Vel quid
prohibet, quin Deus hominem, quem
essentia & operum suorum spectato-
rem esse voluit, talem efficere potuerit,
ut res omnes, quas statuit, cognosceret?
Summus siquidē Deus, qui nulla necessi-
tate, vi aut mōtivo aliquo externo
excitatus, singula, quæ ex profundā a-
byssō evocavit, in suo genere statuit
& fecit perfectissima, & modo mul-
to, quam à nobis concipi potest, ex-
cellētiori: quia placitum ejus in con-
cipiendis & ponendis extra le rerum
essentiis adeo fuit liberum, ut potuise-
rent hæ vel plane non condi, & aliae,
de quibus cogitare non possumus,
creari, vel alio, ac jā sunt disponi modo.

§.3.

Verum enim vero quoniam in eo,
quo jam degimus, statim animadver-
timus, nos ex omnibus iis, quæ huic
universo insunt, (sunt autem illa in-
numera) adeo parvam novissim partis-
culam, quæ si cum cæteris comparetur,
vix sit inter minimi alicujus punctuli.
An etiam nostra de illa cognitio sit
ei adæquata? an etiam esse possit, vel

6 non possit, non est quod primo adspeximus? Præterquam quod valde proclives sumus ad errandum, hæsitationi, oblivioni, miserimaque, ignorantiae adeo obnoxii, ut nihil fere sit, quod, antequam id cognoscimus, aliquo modo non miremur; Non possumus non de fonte, unde illa malorum colluvies in mentes nostras inundat, incipere cogitare. In quo investigando adhuc forte anxiè, sed frustra cum antiquis gentilibus, nostra torqueremus cerebellia: Ut pote qui lumine revelationis destituti, a recto trahite semper delirando, genuinam hujus calamitatis causam invenire non potuere. Unde Medea apud Ovidium.

Lib. 7. Luctata diu postquam ratione furorem
Meta Vincere non poterat; frustra Medea re-
morph. pugnas,

Fab. 1. Nescio quis DEUS obstat, ait.
v. 10 & Alii vero inevitabili fato adscrip-
sq. sunt; ut Seneca cuius haec sunt verba:

Fatis agimur: cedite fatis.

Non sollicitæ possunt curæ

Mutare rati stamina fusi.

Quidquid patimur mortale genus

Quidquid facimus, venit ex alto

Servatq; sua decreta colus.

Non

In ædip.
act, 5.

Nonnulli in corpus rejecerunt, cuius contagione animum infici opinabantur; ut Plotinus, Cato & Epicurus. Adhuc forte, uti dicebamus, in hoc querendo dubii haec remus, nisi è sacris literis, clare edoceremur lapsum Adamiticum, (de quo extra illas, tam altum est silentium, ut id ne somniare quidem possint Philosophi) horum malorum extitisse causam. Genus autem humanum, per nefarium illum & nunquam non effusissimis lacrymis deplorandum poni csum, quantum virium stragem, quantumq; nativæ suæ lucis passum sit deliquium, vix ac ne vix quidem animis concipere, multo minus perspicere possumus. Homo enim primo primæ felicitatis statu turbato, relictis spiritualibus, sine tergiversatione etiam in civilibus, non quo eundum sit, sed quò itur, & cæcus fert impetus, ruit. Intellectus crassa ignorantiae obvolutus jacet nube; voluntas corporis desideriis sollicitatur, uritur & angitur. Affectus vehementiores facti, imperium rationis detrentant, magnocq; aspernantur fastu. Sic in hoc inordinato & misero nostro statu confusa & turbata conspici-

untur omnia, ut verbis id nè eloquem-
tissimus quidem exprimere valeat.

§. 4.

Ne tamen omnimodà & cognitio-
ne veri & directione morum destitu-
erentur mortales; Placuit itidem be-
Confer. benignissimo Deo portionem quandam
Puffen- luminis & potentiae naturalis, tantæ
dorf. cladis velut reliquias in illorum men-
de Officio tibus relictas conservare: Ut non
& Civis. hominis tantum actiones suas ad certam nor-
mam, certumq; finem conformare,
C: 1 §. 3. & quid inde proventurum sit colli-
gere; quin & quæ jam peracta sunt
an cum regula congruant judicare
possent: Sed & varias res cognosce-
re, eas conferre, collatasq; in quo
inter se convenient aut dissentiant
Investigare. Unde Philosophorum
scalas prædicamentales, disparata, op-
posita & quæ sunt reliquæ ordine
satis longo in disciplinis distinctiones
& abstractiones, suam traxisse origi-
nem quis est qui non videt? voluit
Largitor & Fons omnis boni notiti-
as illas, velut semina in fundo in-
tellectus humani deposita, coli & au-
geri, ab imperfectione ad aliquam
perfectionem proverbi. Ea enim a-

nimi bona, ut ait Seneca, subi irrita. Lib: 19
 sor accesserit velut sopita excitantur. Epist.
 Ex his scil. progredimur per discur-
 sum in notitiam diffusorem, & ad
 hæc recurrimus tanquam centrum,
 unde lineæ primæ veritatis ducuntur:
 Nam sunt ratiocinationem juvantia
 non requirentia & ita intellectui ma-
 nifesta, ut probatione non indige-
 ant. Hæc principia, qui negatum
 ire sustinent, dignos censemus, non
 refutatione, sed qui (ne quid gravi-
 us in ipsos dicamus) ad Anticyras
 alegendur, ut purgent cerebrum hel-
 leboro.

S. §.

Non admodum hic moramur eos,
 qui, utut Philosophorum nomine sa- LeGrād
 lutari voluerint, scientiam omnem *in sua*
negando, veri indagandi studium *Apol.*
 plane eliminare sunt aggressi. Aca. cap. 2:
 talepticos loquor & Scepticos, quo- §. 7. Pag
 rum hi aliquid non magis unum esse mibi 69,
 quam aliud asserunt, ac proinde non *Conf.*
 magis uni propositioni assentiendum *Phil.*
 esse quam alteri. Illi vero omnia na- *Vet.* &
 turæ producta nimis abstrusa & conce- *N. Bahr*
 ptu impossibilia arbitrat, nihil quid- *gund.*
 quam veri reperiri posse existimant, *Toms.* 14
 & resonnes mentis humanæ aciem fu-

gere,

gere, idq; utrum se scire, nihil sciri posse mordicus statuant. Hæc Acataleptorum & Scepticorum deliria, jam dum è senioris Philosophiæ foro explosa sub examen revocare superseedemus, hoc unicum dixisse contenti, quod talia affirmantes oppositum in apposito statuant, ipsiq; suum revertunt dogma, confirmantes aliquid sciri, quando suum nihil sciri, tamquam cognitum, profitentur. Ut id exemplo apposito satis declarat Lactantius, qui *Somniasse* ait *quendam nè somniis crederet, si enim crediderit, tum sequitur ut credendum non sit; Si autem non crediderit, tum sequitur ut credendum sit.* Ita si nihil sciri potest, necessarium est id ipsum sciri, quod nihil sciatur. Si autem scitur posse nihil sciri: Falsum est quod dicitur nihil posse sciri. Sicq; inducitur dogma sibi ipsi repugnans seq; dissolvens.

§. 6.

Etsi labentes fateamur multa immo quam plurima esse in natura, ut in Thesi tertia innuebamus, quæ omnem imbecillis humani ingenii lagacitatem prorsus fugiunt, quæq; an unquam

quam comprehendere queant mortales dubitamus: quis enim hominum adeo audax, qui omnes naturæ abyssos se ratione sua exaurire posse credat? tot tamq; stupenda Naturæ sunt opera, ut ea miremur magis quam intelligamus. Temerarios itaq; Clau-
 eos, non temere vocaveris, & vani-berg Ex-
 tate male Philosophantium delulos, erc. 59.
 qui Angelorum multitudinem cæle- §. 8. P.
 stium Sphærarum numero metiun- m. 69t.
 tur; & qui non solum mundi ter-
 minos apprehendere; Sed etiam qua
 figura terminatus sit, intelligere sese opinantur, Multa enim oculos no-
 strios fugiunt, quibus tanta est subtilitas, quantam consequi acies humana non potest. Nihil minus tamen ex superiori allatis adeo manifestum esse reor, posse nos natura duce ad aliquam veritatis cognitionem per-
 venire, ut videatur neminem, nisi cui volupe fuerit, conscientiam di-
 vinum illud pectoris Oraculum elude-
 re, hoc vel negare posse, vel voca-
 re in dubium. Atqui durè etiam nos-
 biscum egisset natura, si usq; adeo blandum & constans veritatis deside-
 gium, quod mentem nostram inti-
 me pervadere sentimus, nobis im-
 plan-

plantasset, si tam profundè reconditum, tantisq; difficultibus obsecptum esset verum, ut ejus nè portio quidem ulla à nobis acquiri posset.

§. 7.

Expensis sic leviter iis, quæ questionis in Thesi prima propositæ satisfactioni inserviebant, exigit ratio instituti, ut rem ipsam, cuius gratia lineas has ducere cœpimus. aggrediamur: ad id itaq; pergentes prolixæ vocum, loco tituli in fronte dissertationis hujus appositarum, à suis fontibus diductione, ambiguitatiq; perverrios, quos fondunt sensus, expositione, tua tempora, Candide Lector, tanto minus morabimur, quanto ille magis sunt obviae, suamq; vim vel tantillum inquirenti pandunt. Aleam igitur ingenii, felici utinam omnino! subiturus ordior eos investigare fontes, unde tot & tam diversæ Philosophorum in rerum naturalium causis detegendis promanent sententiæ: Hoc unicum in antecessum cum vobis, æqui rerum Æstimatores, pacisci habens necesse, ut si in hac quæstione examinanda & dijudicanda non omnia demorios sapiant ungues
id

id ingenii mei tenuitati, argumenti difficultati adscribatis: ingenio quippe fateor me in his auctoribus esse veriatum, ut sciam singula debito observare modo ac observata vestro subjicere conspectui.

§. 8.

Nunc venimus ad id quod hic præcipue agimus: Et dum à congenitâ intellectus nostri obscuritate, Diversitate qua in præcognitis monuimus, fitas abimus: Primam se effert causa quæ *Ingenio ex diversitate ingeniorum arcessenda rum* venit: Non enim in alio magis Natura suam declarasse videtur soleritatem, quam in eo, quod opera sua, aspectu quasi vario discreverit. Quemadmodum autem vultuum huminorum tanta & tam stupenda est varietas, ut inter mille duos, qui exacta similitudine sibi invicem respondeant haud reperias. Ita nec minus certe inter ingenia eorum observamus discrimen, quorum cuique Natura peculiarem quasi inspirasse videtur indolem, cuius vi ita in certa propendent studia; ut unus ad has alter ad illas aptus sit artes, hic ad hæc, ille ad alia inclinatus; Sic in quibusdam

dam animus ad altiora officia cassus
& stupidus, ad simpliciora agilis est &
expeditus; In aliis excellit contemplan-
do; agendo autem nihil valet; huic
magis illa, quam alii approbantur;
uni hæ alteri aliæ placent magis opi-
niones, prout scil. illæ cujusq; con-
stitutionis inclinationi vel mentis pro-
pensioni favent magis & commode-
sunt, vel secus. Hæc omnia concin-
ne & eruditè multis demonstrat inge-

Part: 4. *cap. 2.* niosissimus Barclajus in suo Euphor-
mione: Verba ejus quia nec integri
absq; fastidio exhiberi possunt, nec ex
parte attulisse satis est, cujusvis lectio-
ni propriæ commendamus. Quoniam
itaq; hæc inclinationum diversitas
ad sententiarum faciat discrepantiam
cuivis rem accuratius pensitanti pro-
num est judicare. Verum an hæ pro-
pensiones, mentis, vel corporis solius
salutari debeant proles, non facile
dixerim? Si physiognomos consulamus,
à corporis varia dispositione eas de-
pendere audiemus. Quod scil. cor-
pus, à parentibus constitutionis diver-
sa, à diversis item terræ, quæ inhabita-
tur, & ex quâ alimenta, aër, aliaq;
ad ejus sustentationem defumuntur,
orundum, quid in mentem sibi jun-
ctam

Etiam vi legum unionis possit, non a-
 lij magis, quam ii, quorum corpora,
 vel senectâ, vel alio aliquo casu la-
 bem contraxere, experientur: nube
 enim spissâ vel pluvia imminentî acri-
 ores morbi sui stimulos se sentire
 conqueruntur. Quia dum totus ille com-
 plexus, quem Atmospheram dicimus,
 h. e. aer proximè tellurem ambiens
 variè formatur particulisq; peregrinis
 & diversis inordinatum & insolitum
 spirituum, sanguinisq; morum causan-
 tibus, ut ex barometris optime con-
 stat, imprægnatur. Experimur etiam
 ipso, dum grata demulcemur aurâ,
 nos alacriores studia nostra tractare,
 quam dum gravi urgemur tempesta-
 te. Deinde cogitandum est, quam
 variæ ex variâ sanguinis & spirituum
 constitutione, & ex cerebri deniq; di-
 spositione diversâ, excitentur passio-
 nes: Quod Cartesius & De la Forge
 in suis ad hunc notis fute fatis osten-
 dunt. Et ex propriâ cujusq; constat
 experientia, adeo ut difficulter cre-
 diderim aliquem reperi, qui non
 pro corporis sui, spirituum q; constitu-
 tione diversa, cogitationes suas di-
 versimode, infinitisq; fieri modis va-
 riet. Quod si ita non esset, quælo
 unde

*Tract: de
homine
& pas-
sionibus
anima.*

Pvid.
Æsch.
Maj.
Scrutin.
Ingen.
c.3. pag.
72.

unde immodicum cerebri ardorem in-
teriorum conceptuum oriretur con-
fusio , disturbatio phantasie , deliri-
um & sæpen numero amentia? Unde
multorum inueniente ætate , tam acu-
tum ingenium ; viris tam tardum &
caſſum , quam antea eſſet ſubtile &
vice verſa? Eſt tamen anima uua &
eadem , quis illi ſuas retudit cogita-
tiones ? quis fecit ab ea , quæ ſemel
fuerat , tam diverſam & prope aliam ?
Sed hac ita ex incidenti allata ſuffi-
cient. Inſuper circa hanc diverſita-
tem animadverendum eſt , nonnulla
Inveniri ingenia adeo felicia & per-
ſpicacia , quæ reliqua in rerum ad-
tributis detegendis multo poſt ſe re-
linquunt intervallo , pluresq; fructus
quam alia frondes producunt , quibus
res naturales ipſæ leſe obferre viden-
tur , quotiescunq; eas contemplari
eupiunt. Rara ſunt fateor , ſunt ni-
hilominus quorum cuiq; non imme-
rito hic illuſtris cani poſſit Pane-
gyricus :

Claudi-
an.

Quæ ſparguntur in omnes ,
In ſe mixta ſuunt , & que diverſa ,
beatos
Efficunt , collecta tenes .

Dantur etiam , ſed majori nume-

10, quorum cerebella contumax va-
por ex atra bile labefactat, vel hu-
mor nimius ita emollit, ut rusticis Chae-
glebis, quam libris versandis sint a-
priora, Stelle sunt, ait Daniel Barthol- H. Lit.
li, sed ex earum numero, quæ polo ar- Part. 2.
ctico proximæ, progrediuntur lentius, pag. mi-
& quasi boreali frigore torpent, expe- bi 247:
dire se ad cursum non posse videntur.
Hi dum ex suo ingenio priores esti-
mant, non possunt non ab iis dissen-
tire, putantes se æquè multas rerum
proprietates posse perspicere; Sed
quam verè, quivis vel me tacente in-
telligit. Hujus generis ingenia ele-
ganter valde & vivis suis coloribus de-
picta invenies apud Æschacium Majo-
rem, qui, si cuiquam hâc de re plura
nôste volupe fuerit, præprimis consu- Scrut.
li potest: Nobis autem ad alia pro- Ingen.
perantibus hîce diutius non placet cap. 2:
immorari,

§. 9.

In superioribus verbo denotavimus cogitationes nostras infinitis fere va-
riari posse modis; quod huic rei, in
quâ explicanda tenues ingenii nostri
vires occupantur, quantum inserviat
jam videbimus; eademq; operâ cau-

II.
Diversæ
Cogitan-
di viæ.

iam variantium sententiarum , quæ
 secundo loco considerandam sese si-
 sit , ex diversitate principiorum dedu-
 cemus . Observamus itaq; circa res quæ
 cognitionem mortalium subcunt , a-
 nimam tam varie ex arbitrio disponi-
 posse , ut vix ac ne vix quidem modos
 omnes , quorum indesinitè est capax
 apprehendere queamus . Unde non
 raro contingit , dum mortales rerum ,
 quæ inter se certo sunt nexu conca-
 tenatae , ordinem cogitatione imitari
 conantur , diversis insistentes viis cogi-
 zandi , tanquam cæci , qui alia pro
 aliis prensando divinant & hariolan-
 tur id illud esse , quod optant , mul-
 tum discrepantia , quisq; ad suum
 placitum , assumentes principia , di-
 versa cudunt decreta . Non aliter ac
 si tres vel quatror rustici in horolo-
 gii , vel potius indicis horarii rota-
 tionem , fabricæ ejus ignari inquire-
 rent . Quorum primus rotationis ejus
 causam aquam esse statueret , alter ve-
 ro id inficiatus non magis eum æsta-
 te quam hyeme circumvolvi videns ,
 per arenam patius quam aquam , quæ
 gelu obrigescit , id fieri adsereret ;
 tertius etiam hanc rationem impro-
 baturus diceret se observasse eum in-
 terdum

terdum celerius, interdum tardius rotari, cuius celeritatis & tarditatis causam non arenæ, quippe quæ eundem semper servaret tenorem, sed vento, qui nunc lenius fiat, nunc validius, assignandam esse contenderet; Quartus, nec huic sententia suum additurus calculum, adfirmaret nullum aliquando huic operationi sufficientem darum ventum, quæ ejus vera dici possit causa, verum principio alicui interno id omne, quidquid est, operationis vindicaret. Hanc, vel si mavis huic similem, per omnium seculorum ætates à Philosophis circa rerum principia investiganda actam esse fabulam, neminem, si modo paulisper ad ea oculos converterit, latere arbitramur. Quod nec obscure testatum it Cornelius Agrippa, cuius de hoc integrum discursum, quia veterum placita de rerum principiis cognoscere cupientibus valde inservit, hic appono, qui talis est: *De rerum naturalium principiis acerrima pugna inter Philosophos certatur, & adhuc sub iudice lis est, quis eorum melius dixerit, admodum persuadibiles invincibilisq[ue] de contrariis adferunt rationes.* Nam Thales Milesius, primus sapiens ab ora-

*In opere
de Van-
tat Scienc-
Cap. 49:
P.m. 105;*

culo judicatus ex aqua omnia constare
 voluit: ejus auditor & in Schola suc-
 cessor Anaximander rerum principia
 dixit infinita: illius autem discipulus
 Anaximenes infinitum aërem esse re-
 rum principium adstruit. Hipparchus,
 Heraclitus Ephesius ignem, his ambo-
 bus quodammodo assentit Archelaus
 Atbeniensis, Anaxagoras Clazomenius
 infinita principia tanquam particulas
 minutas & confusas, sed divina men-
 te in ordinem postea redactas. Zeno-
 phanes unum esse omnia negat id ipsum
 mutabile: Parmenides calidum & fri-
 gidum tanquam ignem qui moveat &
 terram que formet: Leucippus, Dio-
 dorus & Democritus plenum & va-
 cuum: Diogenes Laërtius aërem divine
 tamen rationis compotem; Pythagoras
 Samius numerum statuit rerum prin-
 cipium, quem sequitur Alcmeon Cro-
 toniates, Empedocles Agrigentinus Litem
 & amicitiam, ac quatuor elementa.
 Epicurus atomos & inane: Plato ac
 Socrates Deum, id est, materiam;
 Zeno Deum, materiam & elementa.
 Aristoteles materiam ad appetitum for-
 ma per privationem, quam ipse inter-

principia tertium ponit; Alii motum
quendam utraq; cogentem posuerunt,
qui cum sit accidens, quomodo erit
principium substantiae, aut quis erit e-
jus motus motor? Ideo Hebraeorum Phi-
losophi materiam formam & spiritum
statuerunt. His sine dubio motus Se-
bastianus Basso, de hisce principiis ita
loquitur: ex hisc unitus rei difficultate
ortas crediderim quotquot Philo-
sophorum pugnæ naturalem scientiam versus
turbaverunt. Quæ autem genuina
sint principia & pluribus rerum ope-
rationibus demonstrandis interviant, m. 164.
anxie inter eruditos adhuc disquiri-
tur, & licet tam veteres, quam re-
centiores in hoc omnem posuisse o-
peram videantur, non dum tamen in-
venta sunt aliqua ab omnibus satis
probata. Duæ verò præcipuae apud-
nos de hisce circumferuntur senten-
tiaz. Quarum una est statuentium da-
ri principium, materiaz contradistin-
ctum diversæ ab ea naturæ, quæ A-
ristoteli forma dicitur. Altera vero
illorum qui præter materiam & ejus
modos nihil principiorum titulo ho-
narare volunt, quorum hoc sole-
ne carmen:

Mens, mensura, quies, motus, positura, figura,
Sunt cum materia cunctarum exordia rerum.

Ultra autem harum sententiarum
magis faveat veritati, despiceret præ-
sentis non est instituti, quare quid
super hoc negotio in utramque partem
disputari sivevit, sicco prætereo pede,
probè sciens quod cramben recoctam
non facile digesserit stomachus deli-
cator. Verumtamen iis, qui de no-
stra fide circa haec sunt solliciti, ex-
periundi erit facultas quid sentiamus
si placido & quale amicissima veritat
desiderat colloquio, nos dignari vo-
luerint.

§. IO.

3. Nec minores quam causa haec supe-
Confusio rior ciet excitataque digladiationes con-
Rei ma- fusio spiritus & corporis, qua ex ma-
aterialis, le cognitis rerum principiis est oriun-
spiritua- da. Fuerunt enim nonnulli, qui res
lis & spirituales incogitabiles esse affere-
imma- bant, hoc est tales, quarum natura
aterialis, cogitatione repræsentari non posset,
inter quos non parum eminet Hob-
bes, Philosophus Anglus, qui non tan-
tum notitiam sed & existentiam re-
rum spiritualium negavit, statuens o-
mnia, etiam ipsum Deum, esse cor-
pora

pora, seu res extensas & quantas; dicitur
 serte enim ait, in suo appendice ad
 Leviathan, omnem substantiam esse
 corpus, & nos in DEO moveri, ut ex-
 tensum in extenso. Sed quo loco haec
 ejus assertio sit habenda indicat Cele-
 berrimus Poiret, dum scribit: hic vir In suis
 ita pertinaciter, errori suo, (unde omnis Cogit.
 Dei vera notitia atque pietas everti potest) Ratio-
 adhuc sit, ut omnia scripta sua inde con-
 quinaverit. Sed cum natura non pos-
 sit ita abjurari, quin vel furca expul-
 sa recurrat, hinc est quod multis pas-
 sim de ipsis discurrat. Sic Crates Thebae-
 nus nullam esse ait animam, sed corpo-
 ra ita a natura moveri. Plurimi etiam ve-
 terum qui animam fassi sunt, illam
 velut corporum tenuissimam conce-
 perunt huic crasso corpori suffulsum
 ut Anaximenes, Anaxagoras, Dio-
 genes Cynicus & Crito: quibus
 quoque stipulatur Varro, inqui-
 ens: *Anim.a est Aér conceptus ore de- Cornel.*
fervefactus in pulmone, temperatus in Agrip.
corde diffusus in corpus. Hinc suspi- de Vanitate sciri-
 cari datur, cur anima Latinis a ven- ent.
 to, qui Gr. *ἀνέμος* dicunt, accep-
 rit nomen: multi enim mortalium
 res tantum corporeas contemplari,
Cap. 52.

24
earumq; beneficia sensibus corporeis
estimare soliti, non videbant, quo-
modo aliquid, verè & citra dubi-
tationem præter corpus existere pos-
sit. Alii rursus diversam inflantes
tibiam præter DEum, Angelos &
m. 1086, animam humanam alias substantias
immateriales, quæ nomine forma-
rum insigantur, dari asserunt.

Hypom. Ita enim ex innumeris vir Celeber-
Phys. rimis Daniel Sonnertus; ut appetitus
cap. 5. quidam naturalis, quem vulgo instin-
ctum naturalem vocant, datur; ita
etiam datur cognitio aliqua naturalis,
a sensu & intellectu distincta. Nihil
enim appetitur nisi quod prius agno-
tur; plantæ alimentum sibi conveniens
cognoscunt, appetunt & ad se embant;
Quod vero sibi conveniens non est,
relinquunt, aliud in fructum aliud
in corticem convertunt. Sententiam
huic allatae è diametro oppositam
tuctur Clarissimus Glaubergius, quam
etiam si hec loci inseruerim, non mo-
lestè auguror ferent Lectores, præ-
sertim cum in eorum positum sit ar-
bitrio, hæc vel legere vel omittere.
Existimat enim ille, non posse ullo
modo explicari, quæ & qualis sit il-

la cognitio sive perceptio ab intellectu & sensu distincta. Quare ait, qui eam asserunt verba quædam proferentes mente nihil rei concipiunt. Etsi vel maxime, inquit, datur talis cognitio, esset vel cum, vel sine discurso. Si discursiva est ergo etiam Syllogismos faciunt lapides & sophismata nectunt plantæ, nisi forte perfectius homine ratiocinentur & à paralogismis immunes existant. Qværit præterea an discretionis illud judicium plantis, verbi gratia, sit immune semper ab omni hæsitatione? an vero interdum cum dubitatione vel errore conjunctum? Si ambigunt quandoque plantæ sit ne alimentum utile nec ne? Poterunt judicium aliquantisper suspendere & habebunt indifferentiæ libertatem, cum haec nos creditum fuerit omnibus entia ejusmodi ex naturæ tantum agere necessitate, nec aliter posse agere, quam agunt. Si nunquam dubitant perfectiores erunt homine, qui saepissimè circa alimenta assumenda Medicum consulit, dum dubitat num salutaria sint nec ne? Præterea dum non ex solo principio corporeo

opera-

operari dicuntur, sed alio aliquo, instinctu scil. naturæ & vi concurrente, vocibus instinctu & vi naturæ nihil aliud significari percipimus, nisi aliquid cogitans, vel cogitatio-
nis ad minimum analogon machina-
mento corporeo superadditum; alias
namq; instinctu agere idem sonaret,
ac secundum Naturæ leges corporis
ædificium agere. Quod nos ut ve-
rissimum centum si essent amplecte-
remur manibus. Sed bestiæ & plan-
tæ non præviâ aliqua ratione &
scientiâ; neq; mechanice suis defun-
gi muniis dicuntur: Verum instin-
ctu quodam naturæ h. e. cogni-
zione naturali, tanquam princi-
pio, inter cogitans & corporeum
medio, de quo nec conscientia, seu
cogitatio, nec bruta extensio prædica-
ri debet. Hæc hypothesis quia con-
jecturas solummodo loco fundamen-
ti habere videtur, facile diluitur.
Duo enim sunt, quæ rerum existentiam
nobis ingerunt, sensus scil. & ra-
tio. Jam in bestiis reperiri organa
variè formata ad oculum demon-
strant anatomieorum curæ; eadem
porro impulsu spirituum animalium

moveri ratio dictitat, quamquam oculo sive nudo, sive armato flam-milla adnotari nequit. Nulla quippe est sequela, quia hoc vel illud corpus omnem eludit sensum, ergo nec existit. Fatendum est porro, addit, admirandæ Dei potentiaz esse facilimum ma-chinas tanto artificio cōstructas producere, ut vel mille modis in agendo nos vincant. Naturaliter agit Cœlum cum plantæ succum nutritum impertit, naturaliter item cum horologii rotas movet. Aut quid de hisce talibus tam Philotophorum discrepantibus placitis sit tentiendum, cuivis judi-candum relinquo. Sufficiat indigi-tasse confusionem hanc non minimorum in Philosophia litigiorum es- se matrem. Sed de ista satis.

S. II.

Nunc aliam novâ facie obviam cer-nimus. Verborum contentionem intelligo. Cum etenim sonus qui-cunque ex se & natura sua indiffe-rens sit ad quidlibet significan-dum: nullus enim motus corporeus, nullaq; modificatio ejus in sua na-tura cogitationem involvit. Quid ^{4*} Contentio Ver-borum,

quaestio

quæso illud quod corporis expers
est cum corpore habet similitudinē
& affinitatis? Hinc frequentissimē
contingit, ut unus huic vocabulo
illam conjuugit notionem, alter ve-
ro aliam, uterq; parum anxius, an
in eodem sensu ab aliis accipiatur.
Qvod non sine causa dixerim ab
Aristotelis interpretibus factum, quos
quam diversissimis inter se pugnare
sententiis est notissimum. Nec aliun-
de manant, quod observatum est
a Cicerone, plurimæ inter veteres
Philosophos controversiæ, & quæ præ-
cipue Stoicos Academicosq; inter se
commisere. Sic non minores in-
ter viros etiam cætera doctissimos
moventur lites de verbis, quam si de
ipsis rebus ageretur. Refert Auctor
Artis cogitandi Simonem Stevinum
celebrem Principis Auriaci Mathe-
maticum cum numerum definivis-
set id, per quod explicatur quantitas
cujusq; rei, aduersus eos qui nega-
bant unitatem esse numerum exca-
duisse, atq; oratoriā declamatione
esse invectum, quasi de re gravi &
seria res esset, quis est qui non an-
madvertit hanc Disputationem esse
de nomine tantum, unitatemq; vel nu-

Part: 4:
cap. 5.
p. 328.

merum fore, vel non, pro varia numeri acceptione: Si enim cum Euclide definiamus numerum multitudinem unitatum conjunctarum, luce clarior erit, unitatem numerum non esse; Verum cum Euclidis definitio arbitraria sit, licebit aliam definitionem huic nomini dare, nempe eam Stevini per quam unitas numerus erit. Sic in universum ferè certum est eos, qui de primis cognitis, differentiisq; dissentient solis verbis dissentire, ut facilime id apparet, si verborum, quibus utuntur petantur definitiones, conceptum clarum excitare aptæ. Quod vel ex hac una quæstione inter eruditos accerrimè mota patescer: An scil. res spirituales, Deus, Angeli & anima cognoscantur per ideam nec ne? Quod itaq; cum meis forte non licet, alienis verbis, probationibusq; declaravero rectus: ait enim vir quidam Celeberrimus: *Volunt nonnulli Dei & animæ non dari ideam, sed conscientiam seu sensum intimum quo, non autem ideam sicut Dei & mentis cuius cogitatio & notitia.* Quæ differentia videtur esse tantum de solo nomine, per quod diversi diversa sensa

con-

connotant, ut cuiusvis, modo id moneat
licitum est, quem nequit aliis erro-
ris idcirco jure insimulare. Sunt qui-
bus perceptio & idea unum idemque
significant; Atque his licet dicere DEi
mentisque ideas dari; DEum mentemque
per ideas suas cognosci. Sunt quibus
non perceptio aut conscientia mera, sed
perceptio contemplativa, ut sic loquar,
& intellectiva, sit idem ac idea: Atque
his dolor, verbi gratia, colores, pas-
siones animae, non dicuntur idea dire-
cta cognosci seu percipi, sed sensu & con-
scientia; Quod utique ipsis ita efferre
licet; Modo & aliis permittant sua
quemque Nomenclaturam uti. Sunt qui
solam perceptionem, cuius terminus est
extra nos, ideam vocant; Et hoc sen-
su animae idea non erit nominanda.
Si quibusdam perceptionem solam rei
finitae & limitatae placet ideam voca-
re, his idea DEi non veniet nuncu-
panaa. Denique illa quibus perceptio-
nem solam cuius terminus extra nos
est corporeus, ideam dicere volupe est,
solius corporis & rerum huc spectanti-
um dari concedent; Cetera vero dicent
alio modo, sensu nempe sive conscientia
cognosci. Unde luce meridiana cla-
rius

rius patet verbalem plerumq; dissensio-
 nem esse. Ita fieri sivevit in quam
 plurimis aliis ; Ut nihil dicam de in-
 eptis quibusdam vocibus & insulis
 loquendi modis ; Cum quibus post-
 quam diu luterunt Philosophi faten-
 dum illis est, non magis ab eis rē com-
 prehendi vel concipi , quam ante-
 quam sic , ut fas sit dicere , barbari-
 zarent , & cum ad extrema urgen-
 tur per circulum ad priores suas ter-
 minorum nebulas recurrent . Simi-
 li ferme modo Philosophi Scholastici
 terminis suis res quasdam obfusca-
 runt, quæciam etiam inter se dissensio-
 nes, odia, certamina, excitarunt,
 quos jam nec memoro. Quæsierim
 solum ; annon quæstiones omnes de
 nomine fere sint, quas in ipso statim
 limine Dialectices instituunt , dum
 querunt, an Dialectica Scientia, vel
 ars dicenda sit? an practica sit vel
 speculativa? an ens rationis, vel ali-
 quid aliud sit objectum Dialectices.
 Sic hujusmodi terminos inanesq; de
 verbis rixas ad reales disciplinas tran-
 flatas esse , gravissime conqueruntur
 viri docti , inter quos, Franc. Baco
 de Verulamio , *malia*, inquiens, & in-
 epta

Lib. 1. epta verborum impositio, miris modis
Nov. intelligendum obsidet. Neq; definitiones
Org: §. aut explicationes quibus homines do-
43 p. m. diti se munire & vindicare in nonnul-
43. lis consueverunt, rem ullo modo resti-
 tuant. Sed plane vim faciunt intellectui & omnia turbant. Et homines
 ad inanes & innumeræ controversias & commenta deducunt. In has So-
 phistarum argutias, vides quam be-
 ne quadret illud Mytili apud Athæ-
 neum:

Deipno: τὸς τε Φιλοσόφος
soph. L. ἐν Τίς λέγοις Φεογνήδεις εὐείσκω μόνοι
13, p. 610. ἐν Τίς ἐργοῖς οὐδὲ ανοίγεις οὔτω. i. e.,
 Ego Philosophos
 Verbis tantum sapere animadvero:
 In ipsis rebus dementes esse perspicio,

§. 12.

5. Cæterum jam ad diversas percep-
Percep- tiones, earumq; originem indagan-
diverse. dam: putamus enim vel ex ipsis a-
 liquam varietatem nasci. Quid au-
 tem de organorum humanorum in-
 terna structura habendum sit, ex vul-
 tuum exteriori varietate, quam tam
 mire fingi cernimus, ut dubium sit,
 an omnne mundi ævum binos aspectus
 nulla re dissimiles produxerit, haud
 obsecu-

obscure patet. Quantumq; illa vel sola ad perceptionum diversitatem faciat, omnium optime unicuiq; ex iudiciorum inde enata discrepantia constare poterit. Nulla enim est ratio, cur plures eundem saporem, & odorrem dispari prosequerentur affectu; ut ait Poeta:

*Tres mihi conviva prope dissentire Horae.
videntur,*

*Poscentes vario multum diversa pa-
lato;*

Nisi discrepantibus harum qualitatibus perceptionibus fruerentur. Nec sciremus, qui fiat, ut Musicam deperirent alii, summamq; ex ea capiant voluptatem; Alii negligant & aversentur, utq; etiam inter hos, qui eam amplectuntur, quidam isto alii alio harmoniarum genere delectari soleant. Sic unum ex eadem cantilenâ contristari & flere, alterum simul in summo gradu adeo hilarem ac latum fieri, ut à saltu aliisq; gestibus se continere vix queat, summa cum jucunditate observare licebit. Sic etiam videmus unum idemq; objectum, pro varia organorum habitudine, & pro hominum, secundum aetates, sexus,

præjudicia, complexiones, aliasq; innumeratas conditiones, dispositione variâ, diversos imo contrarios proflus in diversis producere effectus. Sic in baphia non diu permanserim ego, ob deterrium, quem effundit odorrem; tinctor tamen cum suis eum non solummodo ferre sustinet, sed & amat tanquam gratum. Hinc ut in hisce, ita in omnibus aliis diversas perceptiones diversa sequi hominum judicia, neminem ignorare finit experientia. Nec existimandum est hanc perceptionis diversitatem magis tribuendam esse objecto, quam acui dolore, qui in nobis ope illius excitatur. Cum igitur omnes occasione unius ejusdemq; objecti similes non habeant sensationes, & juxta ignoretur cuinam istarum sensationum meæ ne? tuæ, an alterius contingat incidere in id, quod ita planè insit objecto, quemadmodum sensu exhibetur? Cuivis rem acrius intuenti manifestum est, sensus solos, hoc est seorsim ab intellectu consideratos, in omnis Philosophicæ veritatis inquisitione non esse audiendos; Qui tunc suo officio defuncti videntur, cum obje-

objectum vi unionis, quam cum mente habent intimam intellectui percipendum sibiunt. Quam attentionem ne temere videat statuisse, singulos sensationis gradus distinctius, sed breviter, ut res evadat clarius, exponam. Primus igitur est commotio organi corporis, ab extensis objectis excitata, & ope nervorum tenuibus constantium fibrillis ad sensus interioris organum perducta. Alterum appellamus perceptionem, quando scilicet anima, organo certis legibus unita, objectum percipit. varietatem ejus ex diversitate motus dignoscendo. Sed quare cum tali non in organo talis naturaliter conjuncta sit perceptio in anima, ingenio humano prorsus est indestrabilis. Hic gradus adeo est necessarius, ut sine ea nulla fiat sensatio. Nisi enim homo sentiat se sentire, non sentit. Animam enim sentire, videre, audire, non oculos, non aures, extra omnē dubitatis est aleam; experimur siquidē non raro, cum aliquanto gravioribus occupamur negotiis, mentem nostram ad ea ipsa adeo esse intentam, ut quavis circumstantes loquantur, campana sonet, aliaq; multa persaganter,

ea tamen non audiamus Ne-
 mo etiam, nisi qui cum ratione
 inservire vult, negare poterit,
 quin ejusmodi soni feriant orga-
 na, eorumq; commoveant nervos.
 Quod autem eam commotionem non
 sequatur aliqua perceptio, inde est,
 quod anima admodum sollicite vacat
 aliis cogitationibus; pluribus autem,
 cum distincta perceptione, simul va-
 care non est in ejus potestate. Tertius
 deniq; gradus est judicium, quando scil.
 voluntas, ex intuitu eorum, quæ si-
 bi obversantur aliquid adfirmat, aut
 negat. De quo hoc est notandum,
 quod eo momento, quo organum mo-
 vetur, anima perclpit, tamq; cito
 judicat, ut non facile aliqua animad-
 verti queat mora. Unde contingit,
 ut hæc tria valde diversa, commo-
 nimirum organi, mentis perceptio &
 judicium, pro uno eodemq; habentur,
 atq; uno v. g. videndi, seu visionis vo-
 cabulo exprimuntur. Sic dicimus, au-
 dio hominem illum, sola audiendi voce
 comprehendentes, quod aures nostra
 moveantur à tremulo & vibrato aere,
 quod ex eo mens aliquid percipiat &
 intelligat; quod aenig; judicet talēm
 illum

Clau-
 berg.
 Oper.
 Phil. p.
 mihi
 1060.

illum hominem esse, quando enim sonus, qualis saepe ante, aurem ferit, inde ratiocinatione colligimus esse eundem hominem, a quo antebac vocem illam produisse judicavimus. Hinc liquido patet sensibus seorsim ab anima consideratis falsitatem perperam. tribui, cum error & falsitas ibi sit ubi compositio sit & divisio. Scil. cum falso de aliquo affirmatur, quod de eo erat nequam, vel negatur, quod affirmandum erat. Alii ad sensationem requiri statuunt quatuor, animam sensitivam, quae principalis sensationis causa est, & quam sublata sensatio perit, organum sine quo anima esse potest, agere non potest, objectum, quod vel proprium vel commune. Species, juxta quam sensus de objecto iudicari. Adsit id quod sentiri debet, at longo saepe intervallo objectum distat, necesse igitur est, per species fieri contactum,

S. 13.

Imponit praeterea multis, quod nihil fere in toto hoc sit universo, 6.
quod non aliquid cum aliis habeat Conve-
commune, ita ut ei cum illis nexus nientia

verum & dis- aliquis & affinitas intercedat. Nihil
convenia quoq; quod non aliquo modo a re- liquis plurimis, imo omnibus di-
entia. screper, habeatq; aliquid sibi pecu-
liare, & unicè proprium, quā ab aliis diversum distinguitur, quod
vī ad conceptus, verbi gratiā, co-
gitationis, affirmationis, & nega-
tionis attendenti, est clarissimum;
Videmus enim omnes hos conce-
ptus eatenus inter se convenire,
quatenus cogitationem involvunt; dis-
convenientiam autem ex eo esse, quod
illa una cogitatio diversis tantum mo-
dis est variata, quare cogitandum
est id quod dubitat, id quod cognoscit,
id quod affirmat, non esse res
diversas, sed unam esse cogitationem,
sic diversimode se habentem. Hanc
convenientiam & inconvenientiam
rerum probè novisse cum res oppi-
dō sit difficilis, non mirum nec in-
frequens est Philosophos, una pro
aliis presantes, diversis inter se pu-
gnare sententiis. Cui originem de-
bere videtur illud Poetæ:

*Et mala sunt vicina bonis: errore
sub illo, bono*

Pro virtuo virtus crimina sēpe tulit.

Ovid
de
Remed.
Amoris.

CAP. II.

§. I.

7.

Inconsi-
derata
Jaduc-
orum
primæ
etatis
præcipi-
tantia.

HACTENUS pro modulo ingenil generaliores Variantium sententiarum consideravimus causas, seqvuntur specialiores, quæ in Philosophis male affectis considerari debent. Hæ quia valde diffusæ sunt, paucis paginis includi non possunt. Insigniores itaq; delineare, idq; brevibus animus est. Ubi primo occurrit inconsiderata sine debita attentione judiciorum præcipitantia, quæ quam ferax sit divortiorum leges, & quam variis modis contingat, ea qua fieri potest brevitate ostendere conabor. Imprimis igitur non perfectos nos homines nasci, sed esse primum infantes ac deinceps adolescere, donec ad maturam deveniamus ætatem, notius est quam queat ignorari. Neq; ignotum est, in prima ista ætate, omnes, ut in reliquis vitæ actionibus, sic etiam in judicando, præcipiti ferri impetu, propter præcipitem, ignemq; istum spirituum sanguinisq; fervorem. In ista quoq; ætate,

dum mens sensibus immersa, ad nulla fere alia quam quæ sunt facile imaginabilia ac sensibus obvia, se convertit, rerum naturam potius ex ratione externâ, quam interna metitur.

S. 2.

8. Hæc judicia cum ita à teneris insuecipiant & paulatim nobis non avertere à tentibus instillantur, natura inesse primus putamus; Quod inde esse suspicor, annis ad quod quæ primis illis annis perhærens, cipimus firmius cerebro imprimuntur & tenacius retinentur, cum memoria paucissimis adhuc notitiis adventitiis sit occupata. Quare tanta hærent pertinacia, ut cura fere nulla penitus possint deleri: Nec mirum: ecquis enim non videt, hæc si diuturnitate & frequentia corroborata fuerint, non magis posse deponi, quam colorem suum abluat Æthiops? & præterea omnis actio præsertim frequens gignit quandam sui proclivitatem, quæ adulta habitus dicitur. Unde nec in virili ætate destitit Catilina a bellis intestinis, cædibus & rapinis in juventute ipsi gratia. Nam

Grot.
J. B. 5
P. lib. 2.
Cap. 2.
Sallust.

Quo,

*Quo semel est imbuta recens servabit
odorem.*

Iusta diss.

Hujus quoq; *Consuetudinis* men-
tionem facit Cartesius, dum inquit, *Medici*
*multa, alia sunt, quæ etsi videar à 6. p. 41.
natum doctus, non tam reveri ab ipsa,
sed a consuetudine quadam inconsidera-
te judicandi accepi.* Et licet in adul-
ta ætate multa absq; sufficienti exa-
mine admissa videat, quæ pro falsis po-
tius quam veris, vel ad minimum pro-
dubiis essent habenda; *Nihilominus*
tamen ad eundem modum, cui à
teneris unguiculis quasi innutriti sunt,
nunquam non relabuntur, Sic e. g.
quoniam à prima ætate stellas ima-
ginati sumus perexiguas, & si
jam rationes astronomicæ, peripue-
nobis ostendant eas esse quam maxi-
mas, tantū tamen præconcepta opinio
adhuc valet, ut nobis solis sensibus
inhærentibus perdifficile sit aliter eas
ac prius imaginari Nec alia su-
spicor est causa, cur veteres cum
recentioribus nonnullis vacuum dari
crediderint, quam quia ab ineunte æ-
tate, in illo spatio nihil omnino esse
putabant, in quo nihil occurrebat, quod
ser.

sensus movebat, pari ratione nec
 Antipodes dari antiquitus est credi-
 tum, quod ex illo, ut alia taceam, ex-
 communicationis liquet fulmine, quo
 Libr. 3.
 Hift.
 Bavar. ob eam assertionem, Virgilius vit
 quidam eruditus, & Episcopus Sale-
 burgensis, referente Aventino, quem
 fide Claubergii hic cito, a Zacharia
 Pontifice est ictus. Hæc attulisse suf-
 ficiat, longum enim nimis foret in-
 ductione exemplorum omnes rerum
 classes pervagari.

§. 3.

9.
 Fuga laboris. Accedit hue & illud, quod multi
 laborem debitamq; diligentiam veri-
 tatis investigationi nolunt impende-
 re, sed fugientes laborem amant a-
 lieno, & quidem præter suam op-
 nionem, errore subscribere iudicio.
 Nam quod licet & facile est quisquis
 cupit. Ea quippe est, quod ingenui
 confiteamur, naturæ nostræ pravitas,
 ut in pejora subinde inclinet, multisq;
 affectibus cupiditatibus, & appetitus
 sensitivi commotionibus, quibns cum
 animo semper luctatio est, sit obno-
 xia. Unde non raro plus vult quam
 probe recteq; intellexit, Appositè
 itaq;

itaq; Cartesius: *Nam quid mens non
sine aliqua difficultate, ad illas res
attendit, ideo saepe iudicat, antequam
id, de quo iudicat perceperit, non se.* Libr. 4.
*cus ac exploratores, ut habet Curti- Cap. 10.
us, ubi verum explorare non possunt, fal-
sa per metum augurantur. Quare si
usquam, certe hic verum est illud:*
*Dii bona sua vendunt laboribus, &
qui fugit molam, farinam habiturus Libr. 1.
non sit, hinc vere dixit Cicero: ca- de Offic.
veamus ne incognita pro cognitis ha- cap. 6.
beamus itaq; temere assentiamur: Sed
adhibeamus ad considerandas res &
tempus & diligentiam.*

§. 4.

Huie valde affinis est impatientia: 10.
dubitandi, dum quis prima quoq;, Impati-
quæ se offerunt, acceperat: Nesciens
artus & nervos sapientæ esse, non te- entia
mtere credere: verum enim vero sicut
canis nimium festinans cæcos parit
catulos, & is, qui donum continen- dubitan-
tiae non habet, interdum ante legitimi- di.
mas nuptias congregatos, spuriros pro-
gignit; Ita falsas, & aliis invitas ani-
mo concipit & parit opiniones, qui
dubitacionem h. e. debitam judici-
sus-

*Claub.**Oper.**Ebil.**p. m. 1131*

suspensionem, impatienter tolerat. Dubitatio enim mihi nihil aliud est, quam judicii nostri de re, quam non satis percipimus, suspensio, tantisper dum cognita nobis fuerit, & explorata. Si autem de re minus perspecta judicamus, certum est vel nos falli, vel cau*to*cidere in veritatem, quod etiam moraliter est errare, juxta id:

*Senec.**in Me-**dea, act,**2*

Qui statuit aliquid parte iniquitate alterā,

Aequum licet statuerit, bāud aequum fuit.

*Dial. 7^a**de leg-**bus.*

Proinde ne in recte rationis regulam, de re ignota judicium tanquam cæci de coloribus ferendo peccetur, necessum est, ut judicium suspendatur, i. e. dubitetur, donec res judicanda perspecta redditia fuerit. Quæsiverim ego an quispiam tam felicis sit ingenii, ut rerum veritatem inventiat, priusquam quæsiverit, & ut certus sit antequam dubitaverit? Liceat hoc applicare illa Platonis: Non decet subito tantos viros de re tanta ferre sententiam, & quasi planam protinus affirmare. Tempus ergo ad hoc assumamus, tunc demum affirmaturi, cum satis fuerit consideratum: Hinc iudex

jūdēx nōcentēm absolvēns, aut iu-
nocētēm dāmōn̄s, sape, nec im-
meritō, vituperat̄, at si differat
sententiam, donec peripētam ha-
beat causam, quis eum jure culpave-
rit? bene Owenus:

Conf.
Prif. nō
de Uſſt.
Hom. 5
Civis lib.

I. cap. 8.

*Hēu quantum in terra dominatur o-
pinio? verum,*

*Me nescire putas & dubitare vētas;
Qui dubitat, non errat; abhuc in u-
trumq; paratus;*

*Error opinando, non dubitando
venit.*

Hanc variantium Scientiarum cau-
sam tangit etiam illustris Baco de Ve-
rulamio, ubi ita differit: *etius error*
*est impatiētia dubitandi, & caca se-
stinatio decernendi de non consideratis,*
*ab q; debita & adulata ſuſpēſione ju-
dicii. Quare etiam dubitationem hunc*
in ſehabere allerit fructum: Quod
Philosophiam muniat conim errores:
Quando id quod non plane liquet,
*non judicatur aut afferit̄ur, ſed ſu-
ſpendit̄ur de eo iudicium, unde recte*
exclamat Tullius: Nibil turpius, nec
*quidquam tam indigrum ſapientis gra-
uitate & constantia, quam aut fal-
ſum ſentire: aut quod non ſatis explo-*

de Aug.
Scient.
Libr.

3. cap. 4.
p.m. 127

Cic. Lib.
i de Nat.
Lector.
cap. 1.

mitē

ntè perceptum est, sine ulla dubitatione defendere.

§. 5.

Fuit ista, sequitur altera, quæ talis est; dum minime omnium sapient, promptissimi sunt ad iudicandum, Juxta proverbium: inscita confidentiam parit. Quæ causa est, ait Corn. Martini, quod mulieres viris, & inter hos indoctiores, imprudentioresq; doctis, & prudentibus in consultationibus ad respondendum, semper sint paratores. Sic laepius in eo peccant imperiti, quod falsa approbant, dum ea videri volunt intelligere. e.g. Quando agitur de quadratura circuli, queriturq; an quadratum dato circulo possit æquale effici? Illi qui nunquam rebus Mathematicis operam dedere, haud magnam hic sibi difficultatem imaginantur; & vel vi- lissimo lapidæ rem expeditu esse facilem arbitrantur; at bonus Mathematicus negabit se posse, imò afferi à quoquam possit, anceps habebit. Valde itaq; Judæus Rabbi Moses Majemonides (quem hic fide Claubergii citamus) nobis probatur, qui ita

ita" fecerit: De nulla re, quæ demonstrari potest, controversia est vel dissensio: Negat illi quisquam se opponit & contradicit, nisi ignorans & imperitus. Sic inveniuntur homines, qui de ejusmodi rebus mouent controversias, quæ luce meridiana clariores habent demonstrationes. Quo ipso, licet se Midæ socios esse prodant: nihilominus tamen literato orbi fere Giganteos esse Atlantes ostentant. Sicq; histrioniam excercant, ut judice quovis pro plausu sibilum mereantur, & ludibrium debeant eruditis,

§. 6.

Hic sece etiā prodit pudor ignomndi,
quo multi, quos cerebri frigus obtusus
sensus efficerat, & pigritia naturæ du-
raret in Silicem, cum nihil sciunt,
omnia se scire profitentur. Qui ma-
lunt inconsultè garrire, & casu pro-
nunciare, quam se ipsos agnoscere
non satis instructos, ad sententiam
ferendam. Citius crediderim clavam
Herculi, quam hilce, hanc tam æ-
quam tanq; debitam conditionis suæ
confessionem, extorseris: Nescio, fal-
lor.

12.

Pudor]

Igno-

randi,

dor. Hi haud dissimiles sunt vasis, quæ cum vacua sunt, sonantius respondent. Quare nec alium in cœtu doctorum obtinent locum, quam eum, quem inter citaræ fides eæ, quæ dicuntur falsæ, quæq; nihil sonant, nisi dissonum, qvibus, non ineptè applicueris hoc Plauti: *Omnia se simulant scire, neg, quidquam sciunt, quod quisq; in animo habet, aut habiturus est illi sciunt:* *Quod in au-*
rem Rex Reginæ dixit, id sciunt: quod Juno fabulata est cum Jove, id sciunt;
que neg, futura, neg, facta sunt, ra-
mam id sciunt. Hujus farinæ sapien-
tes optimè sibi consulerent, si hoc
veterum monitum semper ob oculos
suos haberent: Primus ad stultitiam
gradus est, credere se sapientem, pro-
ximus verò profiteri, unde non levis
scientiæ pars est, scire se multa nescire.

§. 7.

13. *Sunt etiam quidam adeo audaces,*
& nescio quo libertatis vino ebrii, qui
Nimia sui confi- pro arbitratu quidvis sibi licere pu-
denzia, opinione titillantur, & vel falsa per-
svan

fvasi sapientia, vel aliis quibusdam
 donis decepti, sibi ipsis blandiuntur,
 & dona sua, suo se pede metiendo,
 non excutiunt. Ilude sit, ut ad
 metam, cum vix pedem in via po-
 suerint, se jam pervenisse existiment. *Cent. I.*
Nulla enim alia pestis, dicit Lipsius,
plura ingenia abripuit, quam confi-
dentia & estimatio fui, multiq; ad so-
lidam eruditionem pervenissent nisi se
dudum pervenisse putaverint. Hi cum
 nimis sibi placeant & plus æquo pro-
 priis ingeniis confidant, nimis cele-
 riter solent judicare, nunquamq; fa-
 tis temporis sibi sumunt, ad rationes
 omnes circumspiciendas, unoq; die
 se addiscere putant ea, in quibus aliis
 viginti annis desudavit. & eo magis
 errori sunt obnoxii, minuq; veritatis
 percipiendæ capaces; quo subtiliores
 & alacriores sunt. Heic loct licet à
 Cartesio, ingenia nonnulla, eo mi-
 nus veritatis percipiendæ capacia, di-
 cantur, quo sunt vividiora, non ta-
 men facile nobis id verum esse per-
 suadebimus (siquidem nec illum ita
 existimasse pateat) quare notandum;
 Philosophum non de quibusvis sub-
 tilibus, & alacribus loqui ingeniis,

Cartesi-
us de
Method.
p. 10. &
p. 68.

verum de iis tantum, quæ præcipi-
tantia, & nimia virium suarum
confidentia abrepta existimant nihil
in scientiis esse sublime, quod suo
pallio non involvant. Sicq; de iis,
quæ captum ipsorum superant, ferunt
sententiam; quo quidem non aliud
asseqvuntur, quam quod Neanti eve-
nit, qui se perswasus alterum Uraniz
filiū, furtim Orphei Lyra è templo
Apollinis direpta, intempesta nocte
in apricū prodiit campū, ut natu-
ram haberet per ea silentia, suos ad
cantus otiosiorem. Illic ut cœpit in-
felix instrumentum, manu hebeti &
rustica pulsare, nulla fuit chorda, quæ
non, *hei miki*, occineret, & voce
qua poterat, non vibrari se leniter
ad numeros, sed acerrimè vexari que-
reretur: Orphei itaq; Lyra, si nunquā
alias, nūc jure truncos & laxa movisset
in Neantem, nisi excitati stridore in-
condito molossi, Asinumq; ad lyram
ex cantu odorati, Neantem pro asin-
no laniassent. Mitius, sed ore pluri-
um, laceratur dissidiorum cantatrix,
& parens nimia sui confidentia tum
stulte concludit, & sine sufficienti
examine admittas audacter tuetur,
opini-

opiniones. Hujusmodi hominum genus si in ritum, quem ciet, & iannas, quibus vice plausum, quos deperibat, celebratur. Posticus reflectat oculos, virtuti fatale esse ait habere invidos: &

Ingenii magni Livor detrectat Homeris.

His autem modestiores, dum se manifestò derideri sentiunt, ut speciem affectatæ præbeant eruditioñis sublimitatem prætendunt materiæ, suis viribus graviorem. Verum am hæc excusatio melior quam Faustuli? ille, ut est in fabulis, formicâ excusus, in qua equitabat, circumridentibus Phætonem etiam simili præcipitatum calu reposuit, dicens:

Quidrides improbe livor? Quod cecidi? cecidit non aliter Phætō.

§. 8.

Notius est, quam ut probari mereatur, quam plurimos quoq; reperi, Rixandi qui aliorum verba, seu ore prolata, pruri- seu scripto comprehensa, nequissimo modo torquere, atq; pervertere non vereuntu; Quo indè rixandi, liti- gandiq; ansam nanciscantur; de qui bus in hunc modum differere vide-

Monit. *tur Maximilianus Fredro: Igne& non
Politico- nulli tum inquietæ mentis, tum sibi non
moral. orari sed agere complacent, dum quieta,
Part. 2. non sinunt quieta, aut nisi res turbent. &
§. 82. in aliena inrebentur, diem perdidisse,
suag̃ arbitrantur, & pro iniuria repu-
tant; famam potentie, ex aliena iniu-
ria aucupantes, ut igne Salamandra, sic
nonnulli asperis & discordia vivunt,
in id nati, ut nec ipsi quiescant, nec a-
llios quiescere finant. Hinc ortum du-
cit ille contradicendi pruritus, inter
homines adeo familiaris: Hoc enim
svadente, tum aliena aut leguntur, aut
audiuntur, iis leviter & perfunctorie,
quæ ad illa habilienda adducuntur,
prælibatis, totos se conferunt ad ea
rimanda, quæ in contrarium dici
possunt. Præterquam quod de lanâ
caprina altercari gloriæ ducunt, adeo
suum placitorum existunt tenaces,
ut à sententiâ, quam iemel propu-
gnandam suscepere, ulla vel ratione,
vel auctoritate abduci queant. Quos
non inconvenienter describit Eusebi-
us Philosophus, inquietus: multi ho-
mines disputando de rebus, hanc secus
quam animantia bruta, pugnando, so-
lam sibi vicitriam proponunt, ac veris*

gatis amore ac studio relicto, nihil praeter suam utilitatem curant. Scilicet contra quemq; manibus, pedibus, clamore enixe perstant, dum modo ad veriarium vincere aut dejicere possint: Sunt isti, ut plurimum acuti natura, sed mittendis solum in alios jaculis, nunquam melius loqvuntur, quam cum pejus; Nunquam luculentius, quam dum urunt. Tota illorum industria in dictis, & jocis mordacibus, quibus parandis ingenium non minor fatigant sollicitudine, quam Orator Græcus, in efferenda litera canina. Verum hi meminisse deberent, eam solummodo contentionem bonis probari, quæ veritatis investigandæ, & innocentiae vindicandæ causa, instituitur. Nam disputationum, ut ait Herebord, cynosura esse debet pietas, ac veritas, non rixandi, calumniandiq; pruritus, gloriæq; insana cupido.

§. 9.

Præterea qui contentionibus sunt dediti, ut plurimum tetra ambitione peste laborant, fastu & superbia intumescentes, quibus omnia sua quantumvis, exigua, nunquam non magna sunt,

150
Ambitione.

sunt, privati scilicet amoris speculo
ēcavo, pro manis & pygmæis gigantes
reddente. Cum itaq; suas dotes &
opera, cujuscunq; demum naturæ &
Indolis plus justo ament, ac admis-
tentur, de aliis illico abjectius sentire
occipiunt, eosq; semper præ se con-
temnunt, & satyrico perfricant fa-
lē; Veluti nemo hominum, qui se-
cum ex æquo stare possit, reperiatur;
qua de re conqueritur Clemens Ale-
xandrinus: *inani semper sapientiae &*
opinione elati, perpetuo litigant, aper-
te ostendentes, se magis curare ut vi-
deantur Philosophi, quam ut Philoso-
pentur. Ambitionis enim æstro per-
citorum hominum, hæc est indoles
ut soli sapere quæ vera, & facere
quæ recta sunt, videri velint; Cæ-
teri autem omnes, fungorum iustar
illis sunt. Quod minus intelligunt,
ne lux quid decedat gloriæ, damnant;
quod parum arridet, rejiciunt, ipsasq;
artes, quibus alios excellere vident,
contemnunt, easq; ut vanas & inu-
tilles fastidiunt, hoc modo suorum fœ-
tuum amantiores, obtreftatione ali-
enâ, scientiæ famam aucupantur, &
alieni nominis ruina, gradum sibi,
ex sua

ex sua opinione, ad gloriam faciunt. Hinc tot litium tricas, tot sententiarum divertia in campum philosophicum introducta, quis non videt? hujusmodi homines, quin famæ apud cordatores magnum adeant dilicemem parum abest. Quorum communis est character, dum ex culice elephantem facere conantur, ampullas projicere & sesquipedalia verba, contingit his non raro, ut, dum sub ipso modestiæ habitu, plium Zelum præ se ferentes, æternas veritates vindicaturi, in arenam prodeunt, sociis suis, qui eodem splendido virtutum titulo superbire gestiunt, dolendum incusatæ provocationis decus relinquunt. Qua in re similes eos dixerim iis, qui quos agnosce, & impunè lassissi posse existimabant; Sensere postea Leones, optaruntq; sed tardè campo se subducere; Nam:

Galeatum ferò duelli Juvenal

Panitet.

Hujusmodi miseram sortem nactus *Character.*
est Ruffinus, qui, referente Daniele *Hom.*
Bartholi, nihil reveritus magnum *Hie-* *Lit.*
ronymum tentare, glorioius sibi fore Part. 2.

phantans, hujus æmulum fieri, quam amiculum, gravi vero deinde suo cum danno expertus, quam gravis ferenda fuit sancti viri manus, voluit se pugnare subirabere. Hunc & huic similes agyctas, tumidos, superbos tanquam globos exactè rotundos, qui uno vix puncto terram contingunt, homines habitu quidem literatos; Cultu vero expertes literarum, titulis interdum Thalete doctiores, an eset miserabilius defleturus Heraclitus? an risu liberaliori lusurus Democritus? dicat qui vult.

S. IO.

16.
Qdium.

Ex nimio gloriæ honorisq: desiderio, odium in alterius oriri decreta, in Thesis superiori verbo notabamus, dum scilicet, quis ut suam assertat sententiam, alteri detrahit, & aliorum scripta, quæ dextrè interpretari posset, sinistre exponit; Hominibus enim ita à natura comparatum est, non tantum ut se ipsos amant, sed sint etiam adversus ceteros suspicaces, invidi, ægerrimeq: ferasnt alios sibi præponi, quia omnibus cupiunt præesse. Tales vero, qui odio

odio ambitionis pérpetuo comite, in transversum acti, aliorum famam lādunt, ut suam fierent augeantq; reperiri non negabunt, quoquot, ut par est, actionum humanarum fontes int̄rospicere, & quo animo consiliove quidvis agatur obliterare didicere. Non loquor hic de odio, quæ quasdam gentes hæreditaria velut intercedunt; sed de eo solummodo, quod Philosophos inter se committit, facitq; dissidentes; Quo diversum à se sentientes, ut homines rudes, stupidosq; aliorum exponere conantur derisi, ut sua placita majoris fiant pretii, magisq; astimentur. Quæ in alienam gloriam cessura sunt, vel supprimunt, vel pervertunt, sic omnia miscent & turbant, & dum aliud non possunt, virulentia & nō oracitate pugnant. Non attendentes, quod in rerum veritate indaganda omnis iræ omnisq; odii vacuos esse deceat; Nubes enim & insanis prensant, qui mente, cui caliginem affundunt animi perturbationes, veritatem se consecuturos sperant. De hoc insanabili & fatali quasi seculi cœcōe he ita Cicero: *Maledicta, contumeliae, tum incundiae, contentiones, concertationesq; in disputando pertinac-*

ces, indignæ mihi Philosophiâ videri solent. Ad quæ Torquatus: Neg; enim Defin. cum iracundia aut pertinacia recte di Libr. i. putari potest. Optime igitur Cato:

*Iratus de re incerta contendere noli;
Impedit ira animum ne possit cerne-
re verum.*

17.

§. II.

Religio. Magna porro variantium sententiæ apud hominum animos vallet, multos quam sæpiissime falsa sentire docet: Notum enim est apud Græcos, eos, qui primi fulminis & tempestatum causas naturales, insuetis adhuc hominum auribus proposuerunt, impietatis eo nomine damnatos. Nec multo meliorem, testatur historia, eos, apud quosdam Religionis Christianæ, expertos esse sortem, qui ex certissimis demonstrationibus terram rotundam esse, atq; Antipodas ex consequenti dari, afferuerunt. Hæc est illa fascina, quæ tot Philosophorum ligavit animos, absurdissimasq; non raro defendere, impulit sententias. Hoe cæco & immoderato Religionis Zelo abrepti etiam ea, quæ recte

recte dicta sunt, damnant, omnisq;
 generis patrocinia, quæ nihil pro cau-
 sa faciunt, ad stabiliendam Religio-
 nis veritatem, vultu, sermone, & ge-
 stu eximiam singentes pietatem, ad-
 ducunt. Cupiunt siquidem omnia ita Verut.
 disposita esse, ut nihil à consuetis, pre-
 terea ea, quæ ipsi sciunt, cuiquam vel Bac.
 in mentem veniat, cogitare vel con- Nov.
 templari. Si quis autem ea uti liber-
 tate sustinuerit: Is industriam suam in
 capeſſenda fortuna non levi ſibi fore
 impedimento experietur In hoc ordine
 ait Neuchusius quo quis est indoctior,
 eo ſe majori obſervantia coli poſtular.
 Dicta ſua pro ſacris oraculorum effatis,
 ſententiam pro fatidico Divorum re-
 ſponſo, obrudit. Omnes ſuos intueri
 nutus exigit. Si contra quisquam mu-
 tiat, liberamve vocem mittat, impingi
 in ſcripturam, pollui ſacros ritus, con-
 temni venerabiles D̄i ministros, vo-
 ciferetur. Stultum caput, quod la-
 pidem è ſepulchro pro Deo velit ho-
 norari! Pro factionibus magis, quam
 pro veritate; pro ſui nominis, quam
 pro Divini Numinis dignitate, acrius
 pugnant. Hinc cum calumniæ, il-
 linc mordacitas verborum vigent,
Org. l. t.
quis

quis miretur Veritatem ita altercando amitti?

§. 12.

ig.

Auctori
tas Ma-
gistris.

Diximus de Religione, restat ut nonnulla de Auctoritate adjiciamus, quam non pauci tanti faciunt, ut certo sibi perivadeant, nihil verum esse nisi quod à Magistro suo pro vero habeatur, cui sic se addicunt, ut etiam nefas ducant, ab ejus placitis vel leviter dissentire; Parum attendentes quid experientia comprobet, quidq; solidæ stabiliant rationes: Apud quos loco veritatis eruendæ & cum Democrito ex profundo, in quo latet puto, rationis & attentæ meditationis ope, extrahendæ, audias Pythagoreum illud: αὐτὸς ἘΦα, ipse dixit: En Ajacis clypeum! quem hi de rerum causis percontati, cuvis obvertere non verentur. Existimant enim sententiarum suarum Auctorem, lapidem esse Lydium, quo veritas omnis sit probanda, maluntq; instar cocorum alienis, quam suis, uti oculis. Nihil ambigentes, quod falso sum subesse valeat iis sententiis, quas à Principe suo statutas vident, quare etiam pro iis mi-

militare semper sunt parati, gerereq; se adversarios, quæcūq; tandem acies eponatur. Hinc per omnia secula inter diversarum sectarum aseclas Philosophica agitantur bello: Quam litia se exercentibus, dum autoritatibus magis quam rationibus pugnant, hos commendamus versiculos:

Non te dicentis moveat reverentia;
sed quid
Dixerit attendas, & quâ ratione
probarit.

§. 13.

Sed dum in his occupamur, verbo 19.
Saltem meminisse convenit pertina- Pertinacie,
cie, qua multi semel statuta, licet cida:
jam aperti convicta erroris, non des-
serunt quidem, sed praefacte tuer-
tur, nec à sententia semel concepta,
amoveri possunt, etiam si totus mun-
dus reclamaret. Quod æque Seniori-
bus, quam junioribus inest, valdeq;
in illis est frequens. Suæ enim glo-
riæ & estimationi quid decedere pu-
tant, si sententias, quas ut verissi-
mas hactenus defendebant, tanquam
vanas, & à veritate alienas, deje-
rant.

Hinc

Hinc est, quod nova præsertim & à vulgari captu quodammodo recedentia, monstra opinionum statim audiant. Hinc etiam est, quod non nemo (ut ex Francisci Redi observationibus de Viperis refert Celeber-

Phil.

Sect. &

Elect.

cap. 3.

§. 6.

Verulā.

Nov.

Org.

Libr. I.

Art. 50.

timus Sturmius) ne cogeretur confiteri veras esse, non antea visas stellas, aliasq; in calo a Galileo curiosas novitates repertas, noluerit, unquam telescopium oculo admovere. Cum tamen ipsis cogitandum potius foret, mundum semper Seniorem fieri, junioresq; priorum inventis adjutos, ultius & posse, & debere procedere.

In artibus enim & scientiis tanquam in Metallifodinis, omnia novis operibus, & ulterioribus progressibus, perstrepere debent. Quod in nostro & superiori seculo observatum probant, quam plurimæ detectæ veritates, quæ per tot annorum milenarios latuerant. Has cogitationes hi. ut admittant, tantum abest, ut etiam omnem novam, utut clarissimam, lucem contemnant & persequantur. Quos veterum suarum falsarū opinionum adeo tenaces, ut tenebras, vel crepusculum serenæ diei præferant, dignos

gnos deputo, qui nunquam veteres
mutent calceos, semperq; vescantur
ovis putridis, nec aliud bibant quam
Vappam.

§. 14.

Ut hi antiqua tantum venerantur,
& illius præfertim decretis, quem si-
bi in Philosophando Principem, inter
veteres elegere, velut saxo adhærent;
ita alii, titillante solo novitatis stu-
dio, quævis veterum placita, ut an-
tiqua & vulgata superciliosè despici-
unt. Habet enim novitas, nescio
quid peculiare, quod sui desiderium
nobis ingeneravit; Sed si rem ipsam
in suis circumstantiis, rationi potius,
quam affectui auscultantes, pensa-
verimus, facili opera fuci prolixum
ventrem, ab apibus veris discernen-
tes intelligemus, quam

Stulta hæc invidia est cui cuncta re-
& quam centia sordent;
Invida stultitia est cui nova sola
placent.

Veritas enim, quam inquirere est
Philosophorum, ex naturali & intrin-
seco suo pretio, non ascititio aliquo
vetustatis, vel novitatis splendore est
æsti-

10.

Studium
Novitas
sits,

æstimanda. Vetera olim nova fueræ,
 & nova post aliquod tempus Vetera
 futura sunt. Sed nos his, ut li-
 cuit, ut potuimus, defuncti, ad
 illam semper anxii adspiremuscum
 Veritatem, quæ antiquissima o-
 mnium est, ita tamen antiqua,
 ut semper nova sit. Quâ ut æ-
 ternum beemur, Faxis SUMME
 DEUS! Fecisti enim nos ad
 TE: Et inquietum est cor
 nostrum donec requi-
 escat in Te.

